



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Præfativncvla.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

IN D. IOANNIS IVSTI
LANSBERGII
 CARTHVSIANI PARE-
 NÆTICAS EPISTOLAS.
 PRÆFATIVNCVLA.

INTER alia, quæ dum adhuc in viuis esset, no-
 ster Ioannes Lansbergius elucubratus est pie
 Lector, Epistolas quoque diuersas ad diuersos
 scripsit: quæ quidem hæcenus apud nos delitue-
 runt, nec prælo commissæ sunt, non quod dignæ
 non essent, quæ in publicum emitterentur, sed quod nobis illas e-
 dendi commoda deesset occasio. Ea vero iam tandem nutu diui-
 no nobis oblata, nequaquam committere volumus, vt absque fru-
 ctu diutius apud nos hæerent: dedimusque operam vt cum cæte-
 ris illius scriptis ea, qua cernis forma excuderentur. Quibus ad-
 modum commendandis nihil nos immorari attinet, quando ipsæ
 se satis superque commendant, vt pleraque huius ipsius Autoris
 omnia. Quibus pietas sapit, quosque in Dei amore accendi &
 proficere iuuat, sentient se harum lectione Epistolarum non me-
 diocriter adiutos. In quibus displicebit fortasse nonnullis styli
 diuersitas, sed ea accidit partim quod ab autore diuerso tum tem-
 pore, tum studio conscriptæ sint, partim quod aliquot ab ipso qui-
 dem Germanicè conscriptæ, sed à diuersis Latinitate donatæ
 sint. Neque hoc moueat quenquam quod illas quoque certum est
 non omnes eodem orationis filo elaboratas, quas ipse Autor La-
 tinas composuit, cum idem etiam alijs sanctissimis atque doctis-
 simis viris vsuuenisse tam sit euidentis, vt probationem non requi-
 rat. Non enim semper idem studium quibuslibet scriptis nostris
 accommodamus, neque tanta opus est ingenij & eruditionis ad-
 hibi-

hibitione, cum simplicibus & indoctis, atque cum eruditis scri-
bimus. Verum licet dicto non sit ubique sui similis in his Lan-
spergij Epistolis, eundem tamen ubique spiritum comperiet,
quisquis non omnino Christi spiritu destitutus est. Nusquam
non pietatem respiciunt, nusquam non eo spectant, ut ad quos da-
te sunt, à vitijs retrahantur, ad virtutum studium prouocentur,
& qua ratione oporteat hominem Deo placere cupientem suam
& instituire & exigere vitam, perspicuè edoceant. Nihil hic
frivolū, nihil à Christiana gravitate alienū, nihil quod iactantiam
aut eruditionis ostentationem potius, quam lectoris utilitatem
redoleat, nihil denique scurrile aut impium, qualia iam prob do-
lor multi suis inserunt scriptis, quisquam offendet: sed quemad-
modum ignis ad se proprius accedentes pulso frigore sensim cale-
facit: ita etiam Lanspergius noster hoc agit literis suis, ut sicut
ipse diuini amoris igne iā probè incalueras, ita etiā alios ipse eodē
igni quoad fieri posset inflammaret. Atque hic fere omnium, ut iā
diximus, Epistolarum eius scopus est: quo nomine iure sanè &
poterunt & debebunt gratiores esse cunctis verè pijs, atque adeò
illis etiam, quos adhuc vitia tenent irretitos, si modo vitæ in me-
lius commutandæ pio quodam desiderio inflammari velint, cupi-
antq̄ ea duntaxat habere cognita, quæ animæ saluti conducunt,
non etiam aut nugas inanissimas, aut perniciosos errores, quibus
scatent hodie multorum opera, quæ nihilominus & avidissimè
& studiosissimè à quibusdam legantur. Sed ne prolixitate mo-
lesti sumus, ipse iam pie Lector ad ea quæ in tuā gratiam offeri-
mus, cognoscenda accingere, atque ubi senseris te nostro labore
fructum hand pœnitendum ex Lanspergij mellisuis & verè
Christianis Epistolis consecutum, nos tuis apud Deum precibus
commenda. Vale.